DE

HYDROCEPHALO ACUTO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHICA
UT SUMMI
IN MEDICINA,
CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXX. MENSIS JULII ANNI MDCCCLXIV
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

BERNHARDUS BROICHER,
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:
F. LEHMACHER, DR. MED.
CHR. FINGER, DRD. MED.
H. HERMANS, CAND. MED.

GRYPHISWALDIAE,
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PII GRATIQUE ANIMI

SIGNUM ESSE VULT

AUCTOR.

Hydrocephali acuti nomine significatur complexus piae matris morborum acutorum, in quibus effusiones in cerebri cava et in loca intermeningealia existunt. Hae effusiones et immutatio anatomica maxima perspicua appellationem illam commendarunt. Subtiliores immutationes pathologicae, quae comites et quasi auctores illarum sunt, quum priore tempore cognitae non essent, morbis inter se diversis idem nomen inditum est. Huc accedit, quod morbi illi eandem efficiunt imaginem clinicam et in vivis distinctio certa atque accurata vix fieri potest, quum symptomata nihil praebeant, unde illa duci queat. Progressus demum anatomiae pathologicae huic rei lucem attulerunt et ad singula rectius cognoscenda mirum quantum effecerunt. Postquam meningitis tuberculosa detecta et exploratum est, eam esse creberrimam hydrocephali acuti formam, omnem hydrocephalum acutum in illa positum esse, acceptum est, et paullatim demum contigit, ut singula genera discernerentur.

Hydrocephali acuti frequentissimae formae sunt hae:

I. Meningitis tuberculosa, granulosa.

II. Mening. tubercul. acuta.

III. Mening. basilaris simplex.

Enumeratio respicit frequentiam, qua singulae formae existunt, quum meningitis tuberculosa creberrima, meningitis tub. acut. minus frequenter et meningitis basilaris rarissime occurrat.

Aetiologia.

Statistici circumspectus demonstrant, in magna incolarum frequentia praesertim in urbibus magnis morbos hydrocephal. acut. inveniri. Frigidioribus anni temporibus inprimis vere ineunte plerique casus videntur esse. Quamvis hic morbus nulli parcat aetati, tamen parvuli saepissime tentantur et ab anno secundo usque ad octavum apprime obnoxii sunt.

Bennet ducentorum sexaginta quinque casuum centum octoginta duos invenit in puerulis, qui nondum septimum annum, quadraginta sex in iis, qui annum decimum, paucos, qui annum unum expleverant. In adultis intra aetatis annum vicesimum et quadragesimum morbus saepissime existit. Genus masculum feminino saepius hoc morbo corripitur. Maxime huic morbo expositi sunt homines scrophulosi et tuberculosi. Ii igitur, qui admodum perspicua signa habitus scrophulosi habent, aut jam progressam tuberculosin, in maximo versantur periculo.

Tum etiam infantes, quos morbi illi, quamquam non ita jam sunt exculti, tamen praedisponunt, morbo illo corripiuntur. Si homines, qui sani et bene nutriti esse videntur, hydrocephalo acuto tentantur, quod in pueris non raro fit, plerumque fere tuberculosis vetustior post mortem invenitur.

Res, quae occasionem morbi praebent, sunt dentitio, refrigeratio, capitis laesiones; tum morbillos, tussim convulsivam, typhum et otorrhoeam consequi morbus ille videtur.

Quomodo morbi origo cum matura animi contentione cohaereat, non satis perspectum est. Meningitis basilaris etiam sine morbis illis praedisponentibus in hominibus plane validis apparet, et tum eadem momenta aetiologica adesse possunt, quae in meningitide simplici. Casus, ubi tuberculosis piae matris sine tuberculosi in alio organo corporis antecedenti existit, sane rarissimi sunt, attamen inveniuntur.

Character anatomicus.

Tegumenta cerebri apparent intenta, arachnoidea in superficie sicca et nitida. Ubi quaeque effusio in ventriculis et in basi cerebri est, ibi majora convexitatis vasa sanguine carent, gyri depressi et compressi sunt. Quum cerebrum exsecatur, effunditur liquor serosus, raro consistentia caseosa aut purulentus. In basi tum conspiciuntur immutationes singulares. Spatium subarachnoidale circa

chiasma usque ad pontem et etiam amplius retrorsum est infiltratum canoflavo aut purulento exsudato, quod basis partes involvit et decrescens in cerebri fissuras continuatur.

In meningit. tubercul. hoc exsudatum est granulosum et pia mater granulationibus tuberculosis condensata et perfusa.

In mening. tubercul. acut. exsudatum plerumque modicum, at contra inveniuntur cani illi aut canoflavi noduli, qui mox rari, mox ingentem in modum conglomorati sunt in pia matre in basi, in fissuris cerebri et in convexitate, ubi saepe in sulcis sedent. In ventriculis reperitur clarus, aut purulentus liquor, drachmarum aliquot aut etiam unciarum sex pondere et in singulis ventriculis tum qualitate, tum quantitate diversus esse potest. Saepissime ille liquor in lateralibus ventriculis et in tertio est, qui tum pro liquoris copia extenti sunt. Substantia ventriculorum parietum emollita est aut certe serose perfiltrata. Ependyma molle est, atque facile distractu. Plexus chorioidei sunt opaco exsudato involuti. In meningitide tubercul. sunt tuberculi circa plexus choroideos, sed granulationes etiam in ependymate inveniuntur. In cerebro ipso non raro tuberculi apparent, ad quos tum meningitis secundario loco accessit.

In reliquis corporis organis diversissimis tuberculosis conspicitur.

Symptomatologia et decursus.

Fuerunt plures, qui operam darent, ut hydrocephali acuti decursum in stadia singula digererent et dispescerent, qua in re ab immutationibus anatomicis et symptomatis singularibus profecti sunt. Diversae autem immutationes pathologicae nunquam certis finibus distinguuntur, sed saepe haud disjunctae adsunt. Neque raro exsudatum jam apparet, dum inflammatio, ex qua illud originem capit, nondum cessit. Aeque raro ordo quidam atque series in symptomatis erit.

Symptomata, quae ad initium morbi indicandum gravia sunt, etiam posteriore tempore apparent et vice versa. De symptomatis cephalicis, primariis morbi symptomatis dixerit aliquis, in initio exaltationem et sub finem depressionem in universum maxime conspicuam esse.

Morbus raro incipit subito frigore et acuta febri, sed plerumque ei praecedunt prodromi diversae diuturnitatis, quibus paullatim succrescentibus morbus formatur aut subitus impetus subsequitur. Omnino in mening. tuberc. acut., quae magis occulte excolitur, longum stadium prodromale est cum minoribus doloribus conjunctum, quod excipit impetus celeriter accrescens et tum aegrotus mox occumbit morbo maligno. In mening. basilar. autem prodromi nulli sunt aut exigui et per breve tantum tempus; morbus orditur plerumque a frigore et decurrit in hac forma crescens usque ad mortem. Res, quae praecedunt,

maxime sunt perturbationes psychicae leviores: pueruli sunt praecipue maesti, morosi et tristes, facile irritabiles, abstinentes voluptatibus solitis, somnolenti, saepe subito somno excutiuntur. Aegroti queruntur de gravitate capitis et interdum exorientibus doloribus. Macies existit ita, ut haud magnae anomaliae in tractu intestinali cognosci possint. Facies fit pallida et languida. Symptoma morbi ineuntis est permagnus et continuus capitis dolor. Manet hic usque ad finem morbi; nam, etsi aegrotus in comate versatur, indicat dolorem, quod caput manibus prehendit et faciem vultibus miserabilibus deformat. Sedem habere videtur dolor maxime in regione frontali. Modo augetur, modo deminuitur, attamen nunquam plane evanescit; psychicae anomaliae crescunt. Accedunt irritamenta in sensuum organis: ut photophobia et aversatio strepitus; somnus est inquietus, visionibus et dentium stridore turbatus. Inveniuntur jam impetus convulsivi, vultus fixus, lingua gravis. Quod ad organa intestinalia attinet, existit vomitus, qui nunquam abest, sed per paucos tantum dies durat; rarius in morbo longius progresso invenitur. Praeterea tactu venter depressus dolorem docet et est alvus adstricta, fortasse propter irritationem nervi splanchnici hacque re perfectam retardationem motus intestinalis. Appetitus adesse potest; temperatura aucta est et crescit praecipue in meningitide basilari. Pulsus frequentior. Reliquus decursus saepe fallacibus convalescentiis aut remoratione morbi interrumpitur. Quum morbus

progreditur, anomaliae psychicae crescunt. Somnolentia nunc maxime adest, quae interdum jam in coma transit. Aegroti delirant et pueri assurgunt saepe cum clamore pavido, qui in hoc morbo characteristicus putatur. Convulsiones et musculorum contrancturae existunt in facie praecipue et in cervice. Crura ad corpus attracta. Sensibilitas aucta est, ita ut aegroti ex tactu ipso dolorem percipiant. Anomaliae in tractu intestinali sunt adauctae; vomitus intermittere quidem solet, sed alvus adstricta manet perpetuo et appetitus evanuit. Pulsus omnino nunc retardatus, variat autem magnopere. Respiratio est plana, quieta atque impedita; interdum aegrotus cum singultu graviter inspirat, postquam mora in respirando facta est. Quum finis morbi appropinquat, coma perfectum est, quod ultimo tempore interdum deliriis et convulsionibus interrumpitur. Contracturae musculorum desinunt paullo ante mortem, quod tum musculi languescunt. Paresis aut paralysis, quae jam antea aderant, inveniuntur in facie et in extremitatibus. Sensibilitas est obtusa. Exonerationes alvi nunc sua sponte fiunt; pulsus sub morbum exeuntem ictuum numero mirum in modum augetur, est irregularis, debilis atque postremo non numerandus. Aeque respiratio, quae prius retardata erat, nunc accelarata atque irregularis est. Tegumentum corporis est frigido et tenaci sudore obtectum. Plerumque mors cum crepitu bronchiali consequitur.

Quod ad tempus morbi attinet, exitus raro per-

citus, qui intra nonnullos dies fiat, sed morbus in plerisque casibus per quattuordecim dies durat. Magni est in hac re momenti constitutio hominis aegrotantis. Tuberculosi enim, ex qua oritur morbus, jam longe progressa, decursus brevior, quam quum homo, qui sanus videtur esse, morbo corripitur; nam tum mors demum post tres aut quattuor hebdomades consequitur. Mors incidit plerumque post brevius (12—24 horarum) stadium deprimens, sed etiam per impetum convulsivum aut propter diffusum catarrhum aut pneumoniam hypostaticam.

Prognosis.

Quamquam hydrocephalus acutus in morbis periculosissimis et capitalibus habendus est, tamen dubitari non potest, quin homo correptus convalescere queat. Wytt fatetur, neminis aegrotorum traditorum sanationem sibi contigisse, dum contra Heim 30%, Goelis 40% et Formey omnes paene eos, qui opportuno adhuc tempore ad curandum traditi essent, se sanasse profitentur. Sed ne hi omnes rem in majus augeant videndum est. Prognosis maxime inde pendet, quantum progressa sit tuberculosis aliis in organis, a ratione processus in capitis cavo et ab ejus progressu. Ubi jam in pulmonibus tuberculosis longe processit, omnino de sanatione desperandum est. Maxima reficiendi spes est in meningitide basilari simplici, dum parva tuberculosae affectionis sanandae copia jam e rara ejus in pecto-

ris organis sanatione manifesta est. Sanatio vix posteriore tempore quam prima tantum hebdomade speranda est; stadio provectiore, quo jam depressiones incidunt, quo magnae effusiones in cerebri cava et haud exigua affectio cerebri substantiae exspectari possunt, sanatio fieri non potest; attamen etiam eo in stadio sanatio facta esse memoratur.

Rilliet et Barthez tradunt casum sanationis post complures hebdomades morbi factae, qui casus gravis et, quia decursus et primae sanatae et secundae letalis affectionis accuratae observatus ac cognitus est. Puer quinque annorum meningitide tuberculosa correptus est, quae die quadragesimo octavo eo accrevit, ut mors timeretur. Pulsus 160, parvus; respiratio tarda et irregularis. Nunc celeriter convalescere coepit, donec die octogesimo tertio abscessus in perinaeo exortus est, quo secto valetudo bona atque omnes functiones redierunt. Nonnullis mensibus exactis, quum ex alto loco puer in caput cecidisset, gravia cerebri symptomata prodierunt, quae ubi post octo dies decesserant valetudo haud turbata mansit, quae per annos quinque et dimidium duravit. Tum extemplo puer sine ulla causa capitis doloribus et vomitu tentatus est; et quum post decem dies mentis incompos factus esset, gravia symptomata apparuerunt, quae quarta hebdomade morte finiebantur. Cadaveris sectione instituta, cava cerebri magnopere dilatata cognita sunt (160—180 grm. clari liquoris impleta); in pia matre granulationes cum inveteratis depositis tuberculosis, quae

admodum dura, solidis et fibrosis velamentis inclusa sunt. In convexitate aeque atque in basi cerebri induratio est piae matris et arachnoideae.

Ubi sanatio tota consecuta est, ne homo recidat, timendum est, quod intra quinque annos accidere Rilliet affirmat; saepius evenit sanatio incompleta, remanentibus hydrocephalo chronico, habitualibus contracturis, epilepsia, dementia.

D i a g n o s i s.

Propter artam conjunctionem hydrocephali acuti cum tuberculosi, hanc rem accuratissime dignosci permultum confert ad diagnosin rectam. In hominibus adultis semper fere major pulmonum tuberculosis praecedit et nullam dignoscendi difficultatem praebet, ubi primum symptomata cephalica apparuerunt. In pueris res majores habet difficultates, in quibus num scrophulosis et tuberculosis adsint imprimis est explorandum. Adjuvant tum diagnosin prodromi, quos tamen observandi occasio raro tantum medico datur; quae autem de iis referuntur admodum incerta esse solent, quippe quum qui assident aegroto parum diligenter ea observent; tum vomitus initialis cum capitis doloribus, impedita alvi exoneratio, decessus abdominis, irregularitas pulsus, ad quas res mox accedunt anomaliae psychicae et motilitatis et sensibilitatis. In morbos, qui in stadio prodromali et primo tempore cum hydrocephalo acuto confundi possunt, referendi sunt in pueris

ventris catarrhi et nonnulla exanthemata acuta. Etsi ne in accuratissima quidem omnium rerum exploratione confusio semper vitari potest, tamen ne ventris catarrhum statuas obstant gravia symptomata cephalica et alvus pertinaciter adstricta; dum in exanthemate acuto et fervor febris denique exanthematis eruptio omnem tollunt dubitationem. In majore progressu hydrocephali acuti vix periculum est, ne quis hunc vel illum morborum modo nominatorum esse cogitet. Maximas difficultates praebet discrimen inter hydrocephalum acutum et typhum meningitidemque. In pueris, quod typhus raro obvius fit, est monendum. Typho propria sunt initium acutum febrile, cursus regularis temperaturae, frequens sanguinis effusio narium, lienis tumor, dejectionum color, roseola, diarrhoea, expansio abdominis meteorica, crepitatio in regione iliocolica, dum maturae paralyses prorsus abhorrent a typho. Animadvertendum est, quod in hydrocephalo acuto causis quibusdam veluti tuberculosi intestinali etiam diarrhoea adesse et lien tumescere potest, si tuberculosis acuta diffusa est, in qua lien modice dilatatus esse solet, aut si febribus intermittentibus praegressis lien abunde amplificatus est. Ut hydrocephalus acutus a mening. simpl. recte distinguatur, hae res efficiunt, quod meningitis simplex a subitis febribus incipit, quod scrophulosa et tuberculosa symptomata abesse possunt, quod celerius atque justius decurrit, quod deliria statim ab initio praevalent, quod coma serius

et imperfectius existit. Ne cum aliis cerebri morbis confundatur, decursu prohibetur.

Therapia.

Magni momenti est prophylaxis quantum fieri potest. Parentes, quorum liberi hydrocephalo acuto correpti sunt aut qui ipsi tuberculosi laborant, hortandi sunt, ut infantes validis nutricibus tradantur et postea et cibis nutrientibus et frequentibus ambulationibus corroborentur. Simulatque scrophulosis signa incidunt, curatio antiscrophulosa atque roborans est proponenda. Quaeque cerebri hyperaemia et praematura adhibitio organi est vitanda. Exanthemata in capitis tegumento cum cautione sunt tractanda. Prohibeatur necesse est, quominus infantes ejusmodi refrigerentur aut caput conquassent aut capitis laesiones accipiant. Applicatio fonticulorum propter illorum vim debilitandi potius damno, quam utilitati erit. Per morbum ipsum commendandae sunt initio locales sanguinis deductiones, quae imprimis in infantibus infirmis caute adhibendae sunt. Ad hyperaemiam et irritationem minuendam fomenta frigida capiti plane detonso sunt applicanda, quae ut prosint, saepe commutari debent et optime applicatione vesicae glacie impletae compensantur.

Secundum locum tenet ratio derivatoria, in qua omnium maxime hydragyr. clorat. mit. usurpatur. Improbaverim tamen usum illum, si magnae doses aegrotis dantur, quia nimis infirmant. Tam diu hy-

drag. clorat. mit. adhibendum est, donec nonnullae exonerationes effectae sunt.

Ut renum actio excitetur, est herb. digital. quae addatur admodum apta.

Ad resorbendum exsudatum jodi praeparata adhibeantur atque maxime commendatur constans usus kal. jodat. Utaris praeterea modicis deductionibus in cutem exteriorem applicans vesicantia ad cervicem, post aures aut infricans caput unguent. tart. stibiat. Ubi deliria majora adsunt justae doses narcotic. sunt dandae. In somnolentia camphor., mosch. aliaque excitantia prosunt. In comate profundo frigidae superfusiones quamvis brevi tamen eximio effectu sunt.

Diaetetice aut abstinentia ciborum aut cibi, qui facile assimilantur, veluti jus dilutum, lac, poma cocta sunt destinanda. Tum ut silentium, altus capitis situs efficiatur, omnis irritatio removeatur et media vel potius subfrigida aequabilis temperatura adsit videndum est.

Specimen hydrocephali acuti.

H. M. puer quinque annos natus, prius bis per octo dies aegrotaverat, ceterum autem semper mediocriter validus fuerat neque unquam de capitis doloribus questus est. Ante tres fere hebdomades puer de capitis doloribus lamentari coepit, noctu imprimis inquietus fuit et saepius subito clare conclamavit manibus caput prehendens. Abhinc lamen-

tationes pueri de capitis doloribus in dies majores fiunt et saepius modicus vomitus incidit. A medico Berolinensi tum hirudines capiti appositae et pulvis datus est, quem satis magna alvi exoneratio secuta est.

Puer tum aliquantum se recepit et questus de capitis doloribus desierunt. Quo facto pueri parentes, institores peregrinantes, iter suum persecuti sunt. Neque multo post priora morbi symptomata apparuerunt. Hirudines rursus capiti applicatae sunt et unguent. tart. stibiat. infrictum est. Quum conditio pueri in dies pejor fieret, hujus anni Aprili exeunte in nosocomium hujus urbis translatus est. Die antequam aegrotus receptus est, nonnullos spasmos in extremitatibus prodidit et ab initio morbo caput retrorsum deflexit. — Puer est macer, pallido sicco corporis tegumento, languida musculatura; caput contractione cervicis musculorum admodum retrorsum deflexum; pupillae ambae aequabiliter dilatatae. Aegrotus apathice jacet, subinde tantum conclamat, distorquet interdum misere vultum, saepius manibus caput petit. Leviter tantum tactus magnam sensibilitatis amplificationem prodit. Abdomen est modice depressum; alvi exonerationes, ut dicitur, postremis diebus rarae; die, quo puer in nosocomium receptus est, nulla exoneratio fuerat. Respiratio plana, irregularis, nonnunquam inspirationes cum singultu profundo conjunctae. Pulsus paullulum inaequalis, modice acceleratus (90 p. minut.), temperatura 38,1.

Cura haec instituta est: una dosis hydrag. clorat. mit. (gr. v) cum pulv. rad. Jalap. (gr. x); vesica glacie impleta capiti imposita; emplast. cantharid. post aures collocatum.

Die I. mens. Maji. Aegrotus per noctem quietus jacuit nonnunquam conclamans; vomitus modicus semel factus; plures abundantiores alvi exonerationes spontaneae. Per diem quietus interdum singultiens cum dolorosa distractione vultus. Sub vesperam magna somnolentia. Contractura in cervicis musculis et femoribus, quae paullum ad corpus attracta sunt. Strabismus convergens in oculo sinistro exstitit. Pulsus acceleratus, parvus; respiratio irregularis; meridie vomitus; temperatura minor; vesperi extremitates frigidae. Cura: mosch. gr. ij; defricantur extremitates pannis laneis. Quo facto pulsus magis sensibilis, somnolentia decrescit, extremitates calidiores fiunt.

Die II. mens. Maji. Per noctem nonnunquam dentium strepor, singultus; complures alvi et urinariae vesicae exonerationes. Aegrotus etiam nunc aliquatenus mente captus, sed non plane impos. Dextra extremitas inferior est leviter contracta; ubi porrigitur, aegrotus nihil resistit, sed miserabiliter clamat. Sub vesperam magnopere vultum distorquet, ejulat et lamentatur. Per diem nulla alvi dejectio; abdomen depressum; respiratio irregularis, pulsus parvus: 100, sub vesperam 112. Vesica glacie impleta in capite identidem adhibetur; intus datur

Kal. jodat. ʒβ
Aq. destill. ℥ vj.
quater per diem cohlear maj.

Sub vesperam clysma applicatum, quo alvi dejectio efficitur.

A die III—XIII. Per hoc tempus aegrotus plerumque somnolentus jacet; sensus eum non plane quidem deficit, attamen magis magisque minuitur. Suspirat atque queritur saepe per noctem et diem; respondet quidem, sed lente. Vomitus frequens ac multae alvi dejectiones spontaneae. Contracturae etiam nunc adsunt; extremitates superiores languidae atque frigidae sunt; spasmi non animadvertuntur.

Die X. m. Maji. Strabismus in ambobus oculis; pupillae angustae; bulbus rutilus; cornea pulverea. Appetitus haud cedit per totum tempus; macies magnopere augetur. Respiratio eadem, quae antea; pulsus omnino acceleratus et parvus. Cura, quam supra diximus, item adhibetur.

Die VIII. contra collapsum ter per diem frigidae superfusiones fiunt, quibus aegrotus se magis recipit. Ab die XI. in collapsu acriore mosch. gr. j datur.

Die XIII. In sterno usque ad epigastrium et in collo usque ad faciem emersit plane alba, recens hydroa in pallido tegumento. In regione lumbali et sacrali complures superficiales decubitus, qui empl. ceruss. obteguntur. Aegrotus nihil se movet, oculi sunt admodum aperti, cornea sicca, irritabilitas plane evanuit; pupillae modice dilatatae; strabismus etiam nunc adest. Aegrotus extremitates

inferiores, quae adhuc ad corpus attractae erant, porrigi patitur, ut non se moveat aut sonum edat. Numerus pulsus paulisper minor (120 p. minut.). Sub vesperam collapsus major fit. Aegrotus ubi irritatur, nihil prorsus se movet neque clamat. Pulsus parvus et admodum acceleratus, in carotide sola sensibilis 160 p. minut.

Duabas dosibus mosch. (gr. j) datis aegrotus aliquantulum se recipit; pulsus rursus clare sentiuntur.

Die XIV. m. Maji. Collapsus iterum admodum accrevit; irritabilitas plane exstincta est, aegrotus ex comate excitari non potest; pulsus parvus atque frequens (160 p. minut.). Spasmi nondum animadversi sunt; aegrotus nihil cibi sumit. Sub vesperam pulsus fit minor et magis irregularis; respiratio plana et maxime irregularis. Ex comate aegrotus non excitandus; nec nutritione nec medicina utitur. Accrescente comate mane hora tertia die XV. mens. Maji sine convulsionibus mors consecuta est.

Sectio cadaveris praebet meningitidem basilarem simplicem cum modicis exsudatis in ventriculis et in basi cerebri. Granulationes tuberculosae non inveniuntur in exsudatis. In cerebri basi circa pontem animadvertitur flava galatinoso-fibrosa massa, quae partes propinquas involvit. In lobo inferiore pulmonis dextrae reperiuntur tuberculi vetustiores, dum lobus medius profert recentiores.

Cetera organa nihil memorabile praebent. Si nunc licet ea, quae sectione intellecta sunt, comparatione cum ipsius morbi progressu facta respicere,

res quae nobis occurrerunt ita simplicissime explicari videntur.

Puer jam antea tuberculosi laboravit, qua cum fortasse affectiones meningiales in anamnesi commemoratae cohaerebant, quum etiam tum inflammatio meningum affuerit, quae rursus repressae sunt. Quod parentes puerum negligenter habebant in pulmonibus tuberculi recruduerunt, quibuscum una inflammatio meningum et serosa exsudatio in cerebri cava et spatia inter meningiala facta est, ita ut usque ad mortem pueri granulationes tuberculosae non exstiterint.

VITA.

Natus sum Bernardus Broicher in vico quodam prope Coloniam Agrippinam sito, cui nomen est Berzdorf, a. d. VII. Non. Mart. anni h. s. XL patre Henrico, quem superstitem summa pietate gratoque animo amplector, matre Anna Eva e gente Klettenberg, quam dira morte mihi jam dudum ereptam maxime lugeo semperque lugebo. Postquam primis litterarum elementis et domi et Coloniae Agrippinae imbutus per tres annos progymnasium Heinsbergense frequentavi, gymnasium Marcoduranum petii. Post quinque annos e gymnasio cum maturitatis testimonio dimissus tempore auctumnali anni h. s. LX universitatem Herbipolitanam, tum Ill. Scherer, rectore magnifico florentem, adii. Ibi postquam in medicinae studio tria per semestria versatus sum, hanc almam Gryphiae sedem literarum duo per semestria frequentavi. Deinde Herbipolin reversus post unum semestre Gryphiam redii et ab Ill. Bardeleben, rectore magnifico, in civium numerum academicorum receptus apud Ill. Pernice, decanum spectatissimum medicorum ordinis nomen professus sum. Disserentes audivi:

Herbipoli:

Ill. Adelmann: de ophthalmiatrice.

Exp. Dehler: de akiurgia, chirurgicas exercitationes practicas.

Exp. Geigel: de auscultatione et percussione.

Ill. Kölliker: de anatomia et physiologia, de arte cadavera rite dissecandi.

Beat. H. Müller: de anatomia; idem mihi dux fuit in exercitationibus microscopicis.

Ill. Narr: de encyclopaedia et methodologia medica, de psychologia.

Ill. Schwarzenbach: de physice, de chemia organica, de materia medica, exercitationes chemicas practicas.

Ill. Scherer: de chemia anorganica.

Gryphiae:

Ill. Baier: de logice.

Ill. Bardeleben: de chirurgia generali et speciali, de akiurgia, exercitationes in cadavere instituendas.

Exp. Bengelsdorff: de formulis medicis rite concinnandis.

Ill. Budge: de physiologia experimentali et organorum sensuum, de corporis humani evolutionis historia.

Ill. Grohe: de anatomia pathologica generali et speciali, cursum anatomiae pathologicae.

Exp. Heineke: de morbis syphiliticis.

Ill. Pernice: de theoria artis obstetriciae, de morbis neonatorum et mulierum.

Ill. Ruehle: de pathologia et therapia speciali, de morbis systematis nervorum, de psychiatria universali.

Ill. Schultze: de anatomia et physiologia comparata.

Ill. Ziemssen: de auscultatione et percussione.

Dux mihi fuit in clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. Bardeleben; in clinico medico Ill. Ruehle; in clinico obstetricio Ill. Pernice.

Quibus viris maxime de me meritis gratias agere quam maximas me juvat.

THESES.

I.

Exarticulationem femoris amputationi inter trochanteres praefero.

II.

Est scarlatina sine exanthemate.

III.

Inhalatio Chloroformii in opere obstetricio perutile est.